

EPISTULA LEONINA

CI

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XCVI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM PRIMAM (101) !

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam
centesimam primam. Qua agitur **DE SANCTO IOHANNE.***

Relatio mea est tripartita: Primo agam de apostolo, deinde (proximâ futurâ in Epistulâ Leoninâ) de evangelio, tum de Apocalypsi. Scilicet Evangelium et Apocalypsin Iohanni apostolo adscribuntur a vetustioribus tantum auctoribus christianis (minimê a theologis modernis). In hac autem relatiunculâ potius cordi mihi est describere piam traditionem christianam (quae multum valuit ad artem litterariam et musicam et figurativam) quam eiusdem frigidam destructionem argutissimam, qua perfectâ nihil restat spirituale nihilque consolabile.

Considerationibus autem Iohanneis in fine adiecta est res omnino contraria: relatiuncula quam scripsit Thomas Alopex de pastafarianismo. Quam ne legat caveat lector pius: res religiosas sequitur satirica. Nam variatio delectat. Denique plurimum tibi commendo chronogramma Leonis Latini centenarium in paginâ antepaenultimâ positum, quod mirâ arte confecit Hannes Demming histrio et lector fidelissimus.

Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Sabbati,
die 16. m. Apr, a.2016



**ΟΥΤΟΣ ΕΣΤΙΝ Ο ΜΑΘΗΤΗΣ Ο ΜΑΡΤΥΡΩΝ
ΠΕΡΙ ΤΟΥΤΩΝ ΚΑΙ Ο ΓΡΑΨΑΣ ΤΑΥΤΑ
ΚΑΙ ΟΙΔΑΜΕΝ ΟΤΙ ΑΛΗΘΗΣ ΑΥΤΟΥ
Η ΜΑΡΤΥΡΙΑ ΕΣΤΙΝ**

**HIC EST DISCIPULUS ILLE QUI
TESTIMONIUM PERHIBET DE HIS, ET
SCRIPSIT HAEC: ET SCIMUS QUIA VERUM
EST TESTIMONIUM EIUS.**

**Ecce Iohannes Evangelista et aquila symbolum. A.1520 pinxit Antonio da Corregio (1489-1534).
Evangelium secundum Ioannem 21,24 Οὗτός ἐστιν ὁ μαθητὴς ὁ μαρτυρῶν περὶ τούτων καὶ ὁ
γράψας ταῦτα, καὶ οἶδαμεν ὅτι ἀληθὴς αὐτοῦ ἡ μαρτυρία ἐστίν.**

Apostolus Iohannes (graecê Ἰωάννης υἱὸς (sive ὁ) τοῦ Ζεβεδαίου, latinê **Iohannes Zebedaei**)* secundum Testamentum Novum fuit discipulus Iesu Christi, secundum traditionem christianam habetur pro discipulo illo, quem Iesus omnium maximê diligebat. Necnon îdem dicitur quoque scripsisse evangelium quartum.



IOHANNES APOSTOLUS
a.1526 ab Albrechto Dürer pictus
(haec imago est pars picturae, quae
appellatur *Quattuor apostoli*).

Fundamenta biblica

De Iohanne apostolo

Quattuor evangelia canonica testantur Iohannem fuisse unum ex duodecim apostolis, quos Iesus elegerat, et unâ cum Simone Petro et

* De formâ Hebraicâ cfr <https://en.wikipedia.org/wiki/Yohanan>: “**Yohanan, Yochanan and Johanan** are various transliterations to the Latin alphabet of the Hebrew male given name יְהוֹנָן (Yô-ānān), a shortened form of יְהוֹשֻׁעַ (Yahô-ānān), meaning “**Yahweh is gracious**”. The name is ancient, recorded as the name of Johanan, high priest of the Second Temple around 400 BCE. It became, however, a very popular Christian given name in reference to either John the Apostle or John the Baptist.”

Iacobo maiore inter discipulos fuisse artissimo vinculo amicitiae coniunctos, qui secundum testimonium Actuum Apostolorum apostolique Pauli postea quoque in ecclesiâ iuvenili multum valuerunt.

Iohannes in evangeliiis refertur esse filius Zebedaei et frater Iacobi maioris. Iohannes et Iacobus in evangelio Marci dicuntur fuisse piscatores ad lacum Genesareth (Mc 1,14–20):

(14) Postquam autem traditus est Iohannes, venit Iesus in Galilaeum, praedicans Evangelium regni Dei, et dicens: (15) Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei: poenitemini, et credite Evangelio. (16) Et praeteriens secus Mare Galilaeae, vidit Simonem, et Andream fratrem eius, mittentes retia in mare, (erant enim piscatores) (17) et dixit eis Iesus: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. (18) Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum. (19) Et progressus inde pusillum, vidit **Iacobum Zebedaei**, et **Ioannem fratrem eius**, et ipsos componentes retia in navi: et statim vocavit illos. (20) Et relicto patre suo Zebedaeo in navi cum mercennariis, secuti sunt eum.¹

Iacobo et Iohanni a Iesu impositum est nomen aramaeicum, quod valet *Boanerges* (*Βοανηργές*), et in Evangelio Marci redditur verbis, quae sunt *υἱοὶ βροντῆς*, i.e. *Filii tonitru* (Mc 3,16sq.):

Et imposuit Simoni nomen Petrus: (17) et Iacobum Zebedaei, et Ioannem fratrem Iacobi, et imposuit eis nomina **Boanerges**, quod est, Filii tonitru.²

¹ Mc 1,14-20 Καὶ μετὰ τὸ παραδοθῆναι τὸν Ἰωάννην ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν Γαλιλαίαν κηρῦσσω τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ [15] [καὶ λέγων] ὅτι Πεπλήρωται ὁ καιρὸς καὶ ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ: μετανοεῖτε καὶ πιστεῦτε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. [16] Καὶ παράγων παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας εἶδεν Σίμωνα καὶ Ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν Σίμωνος ἀμφιβάλλοντας ἐν τῇ θαλάσῃ, ἦσαν γὰρ ἄλεεις: [17] καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς Δεῦτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς γενέσθαι ἄλεεις ἀνθρώπων.[18] καὶ εὐθὺς ἀφέντες τὰ δίκτυα ἠκολούθησαν αὐτῷ. [19] Καὶ προβάς ὀλίγον εἶδεν Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, καὶ αὐτοὺς ἐν τῷ πλοίῳ καταρτίζοντας τὰ δίκτυα, [20] καὶ εὐθὺς ἐκάλεσεν αὐτούς. καὶ ἀφέντες τὸν πατέρα αὐτῶν Ζεβεδαῖον ἐν τῷ πλοίῳ μετὰ τῶν μισθωτῶν ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ.

² Mc 3,16 sq. ... καὶ ἐπέθηκεν ὄνομα τῷ Σίμωνι Πέτρον, [17] καὶ Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν τοῦ Ἰακώβου (καὶ ἐπέθηκεν αὐτοῖς ὄνομα Βοανηργές, ὃ ἐστὶν Υἱοὶ Βροντῆς).

De etymologia huius nominis cfr <http://www.abarim-publications.com/Meaning/Boanerges.html>

the Aramaic word **בַּר** (*bar*) or the Hebrew equivalent **בֶּן** (*ben*), both meaning son or figuratively, partaker in some collective, or quality or skill. ... The root-verb **רָגַשׁ** (*ragash*) means thunder but only figuratively, and probably also because our modern languages lack proper synonyms. This verb is used only three times in the Bible: Why are the nations in an uproar . . . ?" - Psalm 2:1; "The nations made an uproar . . ." - Psalm 46:6; "Alas, the uproar of many peoples" - Isaiah 17:12. --- cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Donnerskinder>: "**Donnerskinder** (Donnersöhne, Boanerges) ist die Bezeichnung für die [Zebedäus-Söhne](#) [Jacobus Major](#) und [Johannes](#) im [Neuen Testament](#). [Jesus von Nazaret](#) nennt diese beiden [Apostel](#) so ([Mk.](#) 3, 17: *Βοανηργές*), **entweder wegen ihres starken Feuereifers** (s. [Lk.](#) 9, 54; vgl. [Offb.](#) 6, 10; [Mk.](#) 9, 38) **oder wegen ihrer gewaltig erschütternden Rede, die wie Donner in die Herzen dringen würde** (s. [Ps.](#) 68, 34; vgl. [Offb.](#) 10, 3)."

In scriptis a Christianis traditis mater filiorum Zebedaei dicitur nomine fuisse *Salome*. Hoc concluditur e quibusdam verbis Matthaei (Mt 27,56), qui loco illius Salomes a Marco (Mc 15,40) memoratae loquitur de *matre filiorum Zebedaei*.

Locus omnium vetustissimus, quo Iohannes memoratur, invenitur in epistulâ Pauli circa annum 50 ad Galatas scriptâ, in qua Paulus verbis effert auctoritatem, qua Iohannes sit quodammodo una ex tribus columnis ecclesiae iuvenilis aut societatis Hierosolymitanae (Gal 2,9):

...Iacobus, et Cephas, et **Iohannes**, qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi, et Barnabae societatis:...³

Discipulus Iesu carissimus

In Evangelio Iohannis quidam discipulus Iesu semper nomine indicto memoratur additis verbis quae sunt *unus... quem diligebat Iesus*.⁴ Itaque secundum traditionem christianam hic discipulus nomen accepit discipuli Iesu carissimi. Secundum verba Evangelii finalia (Ioh 21,24) agitur de evangelistâ. At neque in Evangelio neque in reliquis litteris Novi Testamenti hic discipulus certo apostolo attribuitur. Itaque docti inter se dissentiunt, utrum evangelista idem sit ac apostolus necne.

Traditio ecclesiastica et investigatio historica

Exegetae historico-critici solent Iohannem apostolum distinguere ab evangelistâ eiusdem nominis, necnon ab iisdem distinguunt Iohannem, qui scripsit *Apocalypsin*.

Contra vetus traditio ecclesiastica docet illum apostolum et evangelistam et auctorem *Apocalypsis* esse unum eundemque virum, qui secundum *Apocalypsin* (1,9-11) versatus sit in insulâ Patmo et pergrandis natu in Asiâ minore mortuus sit munere episcopi functus.

Medio saeculo secundo Iustinus Martyr refert de *Iohanne, uno ex apostolis* teste, qui *apud nos* – i.e. in urbe Epheso – vixerit.⁵ Nullum

³ Paulus, Ad Galatas 2,9 ... Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης, οἱ δοκοῦντες στύλοι εἶναι, δεξιὰς ἔδωκαν ἔμοι καὶ Βαρνάβᾳ κοινωνίας, ...

⁴ Ioh. 13,23-26 μαθητὴν, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς (inter cenam valedictoriam); Ioh.19,26-27 μαθητὴν, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς (inter crucifixionem); Ioh.20,2-10 μαθητὴν, ὃν ἐφίλει ὁ Ἰησοῦς (ubi invenitur sepulcrum vacuum); Ioh. 21,7 μαθητῆς, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς (ubi Iesus resurrectus apparet ad Lacum Tiberiadis (i.e. ad Lacum Genesareth); Ioh.21,20 μαθητὴν, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς (ubi agitur de Iesu successore).

⁵ Iustinus Martyr: *Dialogus cum Tryphone*; cap. 81.

exstat indicium martyrii Iohannis, quali fabulis Sanctorum legendis traduntur omnes ceteri apostoli mortui esse. Irenaeus Lugdunensis ex Asiâ minore oriundus, qui vixit secundo saeculo exeunte, multis locis loquitur de Iohanne apostolo. Secundum Irenaeum hic apostolus etiam est auctor Evangelii Iohannis, quod exortum sit Epheso in urbe.⁶ Iohannem ibi vixisse usque ad Traianum regentem (qui rexit annis 98-117 p.Chr.n.).⁷ Eusebius Caesariensis, qui fuit saeculis tertio et quarto, refert Iohannem Ephesi quoque sepultum esse idque iuxta apostolum Philippum.⁸ Ut demonstrarent Iohannem esse auctorem evangelii, nonnulli theologi usi sunt locis Evangelii Iohannis, qui sunt Ioh.19,35 et Ioh.21,24, ubi res leviter tangitur. Etiam id quod in ceteris evangelii omnibus Iohannes compluries nomine memoratur, sed in Evangelio Iohannis numquam, habetur pro indicio. At exegetae historico-critici contra, eo quod contendunt Evangelium Iohannis exortum esse per longius spatium temporis, negant apostolum Iohannem esse auctorem evangelii ad canonem redacti.

Symbola et Iconographia

Symbolum Iohannis evangelistae est *aquila*. In arte figurativâ Iohannes unicus apostolorum solet exhiberi *imberbis*, quia necessarium est eum tempore Iesu efficientis adhuc adulescentem fuisse, si – ut veteres auctores christiani tradunt – Traiano demum imperatore mortuus est. In iconographiâ Iohanni solet attribui calix cum serpente. Rarius exhibetur martyrium, in quo Iohannes (similiter ac Vitus) in cortinâ stans perfunditur oleo fervidissimo. Ab hâc martyrio tradito derivatum est nomen ecclesiae Romanae, quae appellatur *San Giovanni in oleo*. Imagines huius martyrii olearii etiam confectae sunt ab *Albrecht Dürer* (in cyclo, qui appellatur *Apocalypsis* et a *Iohanne Fries* (*Sanctus Iohannes cortinae oleariae impositus*)).

Dies memorialis

- In ecclesiâ catholicâ, anglicanâ multisque ecclesiis protestanticis dies Sancti Iohannis memorialis celebratur d.27. m.Dec. In multis Germaniae ecclesiis evangelicis hic dies officialiter appellatur *Dies Iohannis apostoli et evangelistae*. Evangelium huius diei est Ioh.21,20.24, color liturgicus huius sollemnitatis est albus. Ab aevo medio usque ad saeculum undevicesimum iniens die sexto mensis Maii quoque memoria Iohannis Apostoli celebrabatur. Haec sollemnitas diei sexti mensis Maii a.780 primo commemoratur.

⁶ Irenaeus Lugdunensis: *Adv. haer.*; III, i, 1.

⁷ Irenaeus Lugdunensis: *Adv. haer.*; II, xxii, 5

⁸ Eusebius Caesariensis: *Historia Ecclesiastica* III, 31,2-6

Primo eadem non celebrata est nisi propter memoriam annuam cuiusdam ecclesiae Iohanneae encaeniatae, quae sita erat ante Portam Latinam Romanam, sed postea sollemnitas diei sexti mensis Maii relata est ad martyrium Iohannis.

- In ecclesiâ orthodoxâ, ubi Iohannes cognomine est Theologi (i.e. de Deo loquentis), dies octavus mensis Octobris et dies quintus decimus mensis Maii celebrantur eius dies memoriales.

DE DISCIPULO IESU DILECTISSIMO



IOHANNES APOSTOLUS. A.1620-26 PINXIT PETRUS PAULUS RUBENS.

Discipulus Iesu dilectissimus est adolescens anonymus in evangelio Iohannis commemoratus. Qui in relatione passionis Christi inducitur momentis temporis gravioribus, plerumque additis verbis, quae sunt: *ille discipulus, quem diligebat Iesus*. Idem est unicus discipulus, qui vigilat ad pedem crucis ideoque est fidelitatis probatae. Discipulus dilectissimus compluries commemoratur quodammodo competitor Petri (e.g. Ioh.21,2–20). At ex evangelio non apparet, quis sit haec persona.

Quibus locis evangelii inveniatur discipulus dilectissimus

Quamvis in evangelio Iohannis compluribus narrantur omnes discipuli a Iesu diligere (Ioh 13,1; Ioh 13,34), discipulus dilectissimus quadamtenus praefertur ceteris. Quinque in summâ afferuntur verba quae sunt *discipulus, quem diligebat Iesus*. In textu palaeograeco notio diligendi exprimitur duobus verbis variis: ἀγαπᾶν, diligere sive φιλεῖν, amare¹.

Ioh. 13,23– 26	„μαθητὴν, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς“	(inter cenam valedictoriam)
Ioh. 19,26– 27	„μαθητὴν, ὃν ἠγάπα [ὁ Ἰησοῦς]“	(inter crucifixionem)
Ioh. 20,2– 10	„μαθητὴν, ὃν ἐφίλει ὁ Ἰησοῦς“	(ubi invenitur sepulcrum vacuum)
Ioh. 21,7	„μαθητὴς, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς“	(ubi Iesus resurrectus apparet ad Lacum Tiberiadis (i.e. ad Lacum Genesareth)
Ioh. 21,20	„μαθητὴν, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς“	(ubi agitur de Iesu successore)

Duo loci postremi inveniuntur in capitulo 21, quod putatur esse appendix redactoris evangelio adiecta. Secundum Ioh.21,20 in Ioh.21,24 verbis effertur testimonium discipuli dilectissimi et quoad totum evangelium idem discipulus dicitur *haec* scripsisse. Inde traditum est discipulum dilectissimum esse etiam auctorem evangelii.

Theoriae quae de discipulo dilectissimo sunt excogitatae

Exegetae bibliae iam diu disputant, quisnam fuerit ille discipulus Iesu dilectissimus. Secundum traditionem idem discipulus habetur pro Iohanne apostolo, qui unâ cum apostolis Petro et Iacobo maiore rationem habuit cum Iesu extraordinariam (Mc 5,37; Mc 9,2 EU; Mc 13,3; Mc 14,33; Mt 26,37; Lc 8,51; Lc 9,28). Cum in Evangelio Iohannis (Ioh 21,24) dicatur discipulum dilectissimum esse auctorem huius evangelii ipsius, apostolus Iohannes secundum traditionem est idem ac evangelista eiusdem nominis.

At recentiores theologi putant discipulum dilectissimum esse aut alium apostolum aut personam symbolicam ab evangelistâ confictam, quae non sit historica. Notio discipuli dilectissimi potest etiam haberi pro

¹ Wilhelm Gemoll: *Griechisch-Deutsches Schul- und Handwörterbuch*. G. Freytag Verlag/Hölder-Pichler-Tempsky, München/Wien 1965, s.v.: ἀγαπᾶν, liebevoll aufnehmen, lieben, schätzen; φιλεῖν, lieben, lieb haben, liebevoll aufnehmen.¹

prototipo alicuius discipuli Iesu: Discipulus dilectissimus est ea persona, quae cum Iesu vivat amicitia personali coniunctus et scit se sine conditione diligi a Iesu. Hôc sensu omnis potest fieri discipulus dilectissimus.²

Richard Bauckham ad relationes, quas scripserunt Papias Hierapolitanus et Irenaeus Lugdunensis et Polycrates Ephesius provocans dicit discipulum dilectissimum esse presbyterum Iohannem Ephesium, qui secundum Polycratem fuerit Iudaeus sacerdos, fortasse filius aut nepos illius Iudaei sacerdotis, cui nomen fuit Annas.³

Rudolf Steiner discipulum dilectissimum cognovit esse Lazarum a Iesu redanimatum.⁴ Moderni quoque exegetae nonnulli talem theoriam docent.⁵ *Walter Simonis* opinatur discipulum dilectissimum esse evangelistam Marcum⁶.

² Zenit-Ausgabe, 5. Juli 2006: [Generalaudienz Papst Benedikt XVI. am 5. Juli 2006](#)

³ Richard Bauckham: *Jesus and the Eyewitnesses*, 2006.

⁴ Rudolf Steiner: *Das Johannes-Evangelium*. Dornach 1995 = GA 103, p. 62-82

⁵ Reinhard Nordsieck: *Johannes. Zur Frage nach Verfasser und Entstehung des vierten Evangeliums*. Neukirchen 1998

⁶ *Markus, der Evangelist und Jünger, den Jesus liebte*. Frankfurt a.M. 2004

ECCE FABELLAE GRIMMIANAE !



Fabulae pueriles et domesticae a Iacobo & Vilelmo Grimm collectae, quas e theodisco sermone in Latinum convertit

Nicolaus Groß.

Argumenta disci primi:

Dedicatio ad Elisabetham de Arnim (Widmung an Elisabeth von Arnim)
Praefationes editionum a.1819 et 1837 (Vorreden zu den Ausgaben von 1819 und 1837). De Rano Rege aut Henrico Ferrato (Der Froschkönig oder der eiserne Heinrich) - De catto et mure inter se consociatis (Katze und Maus in Gesellschaft) - Puella Mariana (Marienkind) - De quodam homine ad formidinem discendam profecto (Märchen von einem, der auszog das Fürchten zu lernen) - De lupo et septem capellis - (Der Wolf und die sieben jungen Geißlein).

CD 28 paginae, datotheca pdf pretium € 24,90

[Exemplum legibile \(pdf 28 KB\)](#)

Argumenta disci secundi:

De Iohanne fideli, De bonâ mercaturâ, De miro fidicine, De duodecim fratribus, De convivis mendiculis, De fraterculo et sororculâ, De tribus pumilionibus silvestribus, De tribus netricibus, De Iohannulo et Margaritulâ, De tribus foliis serpentinis, De serpente albâ, De culmo carbone fabâ, De piscatore eiusque uxore, De vestificulo fortissimo. Scilicet nequaquam necessarium sit commendare has fabellas, quae iam pridem thesauro litteraturae mundanae addictae nunc êduntur tunicâ ornatae. Itaque hîc loco nihil restat nisi commemoramus bellulam adhortationem Apulei Asino aureo praefantis: "*Lector (aut potius auditor) intende: laetaberis*".

CD 58 paginae, datotheca pdf pretium € 32,90

[Exemplum legibile \(pdf 30 KB\)](#)

Hi disci legibiles directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM TOLLE LEGE !

DE IOHANNE QUID LEGATUR IN SANCTORUM LEXICO OECUMENICO

Cognomen orthodoxum: Theologus

Dies memorialis catholica: d.27. m.Dec.

Sollemnitas secundae classis.

in Russia: d.8. m.Maii

ritu mozarabico: d.29. m.Dec.

ossa eius deponuntur in Baptisterio Ecclesiae Germani Autesioduri (*Auxerre*): d.15. m.Apr.

■ Missa sacra fit nonnullis in locis (sub nomine Iohannis ante Portam Latinam): Dies, quo Iohannes Romae martyrium passus est (cui superstes fuit) Rom: d.6. m.Mai

Manna ex eius sepulchro editam esse d.8. m.Maii

Ossa transferuntur in Basilicam Mediolanensem ad Portam Romanam sitam: d.9. m.Mai

Memoratur in Canone missae eucharistico I, in Canone missae Ambrosiano I, in Canone missae mozarabico.

Dies memorialis evangelica: d.27. m.Dec.



Dies memorialis anglicana: d.27. m.Dec.



Dies memorialis orthodoxus: d.8. m.Maii

Synaxis in Diaconissa: d.15. m.Febr.

Transferuntur ossa et vestimenta: d.20. m.lun.

Synaxis in Viatos/Veotos: d.10. m.lul.

Obitus (dies mortis): d.26. m.Sept.



Dies memorialis armeniaca: d.9. m.Apr., d.7. m.lul., d.11. m.Oct., d.20. m.Oct., d.25. m.Dec., d.29. m.Dec.

dies mortis: d.26. m.Sept.

Dies, qua ex eius sepulchro edita est manna: d.8. m.Maii



Dies memorialis coptica: d.11. m.Maii, d.7. m.Sept., d.27. m.Sept., d.30. m.Dec.

sollemnitas liturgica d.5. Sabbati post diem Dominicam Exaltationis Sanctae Crucis

Ossa transferuntur: d.26. m.Sept.



Dies memorialis syriaco-orthodoxa: d.2. m.Ian., d.3. m.Mart., d.3., feria quinta post Pascha, d.7. m.Maii, d.8. m.Mai, d.11. m.Mai, d.20. m.Mai, d.2. m.lun., d.15. m.Dec., d.27. m.Dec.
dies mortis: d.26. m.Sept.

Nomen Iohannis significat: *Deus est propitius* (hebr.)
 apostolus, evangelista, martyr. * Natus est in Bethsaidâ, hodie collis, qui
 appellatur *Et-Tell* prope *Ad Dardara*, in Syriâ. † Mortuus est circa a.101
 (?) in urbe Epheso, hodie parietinae prope *Selçuk* in Turciâ sitae (?)

Iohannes fuit filius Zebedaei et Salomes, frater Iacobi maioris,
 professione piscator, videtur indole fuisse forti atque impigro, itaque
 Iesus ei imposuit cognomen *Filii Tonitru* (Evangelium Marci 3, 17).
 Iohannes quartus (post Petrum, Andream suumque fratrem) vocatus est
 discipulus Iesu (Mc 1, 19). Iohannes unâ cum illis (Andrea excepto)
 praesertim in Evangelio Marci particeps fuit circuli Iesu interioris: iam
 adfuerunt, cum Iesus expergefaceret filiam *Jairi* praepositi synagogae
 (Mc 5, 37), deinde, cum Iesus clarificaretur (Mc 9, 2), cum desperatus
 preces faceret in *Monte olivarum* noctis ante *Parasceuen* (Mc 14, 33).
 Secundum testimonium Evangelii Iohannis unicus discipulus sub cruce
 stans fuit Iohannes, et a Iesu appellatus est discipulus dilectissimus
 (loh. 19, 26). Unâ cum Petro Iohannes fuit primus qui a mulieribus certior
 factus properavit ad sepulchrum Iesu vacuum. (loh.20, 1 - 9).

Unâ cum fratre suo Iacobo Iohannes Iesum rogavit, ut unus ad dexteram
 Iesus, et alius ad sinistram sedeant in gloriâ eius. At Iesus hoc recusavit
 et postulavit, ut illi parati essent ad patiendum; sed ceteri coeperunt
 indignari de Iacobo et Ioanne (Mc 10,35 - 41). In ultimâ cenâ, quae facta
 est feriâ quintâ, Iesus discipulus dilectissimus (qui ab auctore Lexico
 Sanctorum Oecumenici videtur haberi pro Iohanne apostolo) recubuit in
 sinu aut supra pectus Iesu (loh.13,23). Iesus moriturus Iohanni mandavit
 matrem suam (loh.19,25sq.). Iohannes primus discipulorum testis factus
 est sepulchri vacui (loh.20,4sq.) mâne paschali, Iohannes primus
 recognovit Iesum resurrectum prope Lacum Gennesaret apparentem –
 in vico, qui hodie appellatur *Jam Kinneret* (loh.21,7).

Aetate Primae Communitatis Hierosolymitanae ineunte Iohannes unâ
 cum Petro maximê valuit ad ceteros christianos. Ambo post Pentecosten
 primam effecerunt sanationem, in templo sanaverunt quendam virum
 debilitatum (Actus Apostolorum 3,1-11), in templo homilias habebant
 ideoque offenderunt viros auctoritate valentes (AA 4,1sq.,13), ambo
 intimidê contradixerunt (AA 4,19). Ambo tantâ fuerunt confidentiâ primae
 communitatis, ut emitterentur ad communitatem primam extra
 Hierosolymam, *Samariae*, i.e. hodie *as-Samarah*, exortam confirmandam
 (AA 8,14). Paulus Iohannem eiusque fratrem Iacobum et Petrum rettulit
 in numerum *columnarum* communitatis primae (Ad Galatas 2,9).


Incertum restat, num Iohannes filius Zebedaei reverâ idem fuerit ac discipulus Iesu dilectissimus; Evangelio quoque Iohannis non inest huius identitatis indicium indubium.

Iohannes discipulus traditur idem esse ac evangelista Iohannes, qui videtur vixisse Epheso in urbe, ubi in circulo discipulorum apostoli Iohannis evangelium eius nomine nuncupatum et tres epistulae eidem adscriptae sunt exortae. At iam Papias Hierapolitanus discipulum distinxit a quodam Presbytero Iohanne. Hodierni investigatores non putant auctorem evangelii epistularumque esse eundem ac discipulum, quem Dominus diligebat*. Nomen auctoris in testimoniis Evangelii Iohannis (1,15) non indicatur nisi recentioribus, in epistularum primâ deest totum, in secundâ tertiâque auctor se ipsum appellat Seniore. Theologi distinguunt *Servum Iohannem* (Apocalypsis 1,1) auctorem sic se ipsum appellantem ab illo, qui dicit se esse auctorem evangelii (Ioh.21,24).

At omnia scripta Novi Testamenti nomine Iohannis nominata originem repetunt ab eâdem scholâ ineuntis christianismi, cui evidenter (Ioh.19,35) licet provocare ad quendam testem oculatum crucifixionis Christi.

In *Legendâ aureâ* fusê narratur de rebus a Iohanne in Asiâ minore factis, ubi dicitur in templo Dianae noluisse sacrificare. Aristodemus, sacerdos templi summus, post tumultus – aurifices enim timuerunt, ne damna facerent amuleta Dianae vendentes – Iohannem monebat, ut sacrificaret, alioquin eidem bibendum esset venenum, quo coram se duo iam viri scelerati mortui essent. Iohanne signum crucis super calicem faciente venenum mutatum est in serpentem, quae effûgit, Iohannes ipse ebibit non moriturus, amiculum sceleratis iniecit, ut reviviscerent; tum Aristodemus se convertit ad fidem christianam.

* At Irenaeus Lugdunensis discipulus Pippae putavit evangelium et epistolam primam et secundam et Apocalypsin conscriptas esse ab illo discipulo Iesu, qui vixerit Ephesi.



**Hieronymus Bosch (circa a.1450 - 1516):
Iohannes in insulâ Patmo degens,
in Porticu picturarum Berolinensi.**

Iohannes secundum fabulas pias a.95, quo Imperator Domitianus christianos persequabatur, comprehensus Romam est portatus. Ad Portam Latinam narratur martyrium in cortinâ olei fervidissimi passus esse, sed oleum mutatum esse in balneum recreans, ut Iohannes escenderet integer et exilio pelleretur in insulam Patmum, ubi scriberet librum Apocalypsis. Domitiano mortuo Iohannes revertit Ephesum, ubi magnis honoribus receptus scriberet evangelium. Idem vir Drusianam, quae modo mortua sibi offerebatur, redanimavit. Ultimâ homiliâ finitâ, cuius sententia praecipua fuit *Filioli, diligite inter vos!*, Iohannes coram omnibus descendit in sepulchrum iuxta altare praeparatum et mortuus est magno lumine apparente; ex ipso sepulchro diaconos suos benedixit.

Testimonium vetustissimum Iohannis venerandi est ecclesia, quae circa a.200 super sepulchrum eius Ephesi aedificata est illique dedicata est; quae saeculo sexto ab imperatore Iustiniano I. facta est basilica. Christiani occidentales, praesertim Concilio Ephesi facto, Iohannem magis magisque venerabantur. Hilarius papa eidem dedicavit oratorium in sacello baptismali Palatii Laterani situm; saeculo sexto Basilica Sancti

Iohannis in Laterano dedicata est ei et Iohanni Baptistae. Papa Hadrianus saeculo octavo exeunte Iohanni dedicavit Ecclesiam Sancti Iohannis ad Portam Latinam. In regione, ubi lingua theodisca frequentabatur, christiani postea demum cultus Sancti Iohannis percrebrescebat, piis fabulis efficientibus.



Sepulchrum Iohannis in basilicâ Iohanneâ Ephesi situm

Iam a.379 Gregorius Nyssenus testificatur Iohannis memoriam celebrari septimanâ festi natalicii. In quodam calendario ecclesiae syriaco-orthodoxae quarto saeculo confecto dies memorialis Iohannis affertur d.27. m.Dec., eâdem die ac Iacobus; in lectionario Ecclesiae Armeniacae Hierosolymitanae saeculo quinto exortum affertur d.29. m.Dec. In liturgiâ Ambrosianâ Iohannes ex saeculo quinto colebatur d.27. m.Dec., Iacobus d.29. m.Dec. Secundum Martyrologium Hieronymi christiani venerabantur Iohannem et Iacobum saeculo quinto ambos d.27. m.Dec. Circa a.780 memoria ecclesiae Iohanni dedicatae celebrata est d.6. m.Maii – haec dies a.1960 demum e calendario sublata est.

Propter theologiam suam altam Iohannes in imaginibus exponitur unâ cum aquilâ. Serpente autem in calice depictâ alludebatur ad veneficium temptatum. Iohannes dicitur sepultus esse in ecclesiâ eidem dedicatâ, quae sita erat in colle Ephesi. In insulâ Patmo ostenditur spelunca Apocalypsis in colle inter Monasterium Iohanneum et vicum Patmum sita, ubi Iohannes fertur scripsisse librum Novi Testamenti ultimum. Magnum monasterium, quod Iohannis nomine nuncupatum, a.1088 conditum est, sed pleraeque partes originem repetunt e saeculo septimo decimo. Quod continet reliquias hominum Sanctorum, raros codices, thesauros ecclesiasticos et icones, quarum pretium est inaestimabile.



Monasterium Iohannis in insulâ Patmo situm

Die Iohannis vinum eo nomine appellatum benedicitur, cui nomen est *Johannesminne* (*caritas Iohannis*); quod vinum a sacerdote offertur communitati, cui licet eodem gustare caritatem Iohannis, qua protegatur contra morbos periculave.

🇹🇷 **Res Sancto Iohanni attributae:** aquila, calix serpente instructus, cortina olei



🇹🇷 **Patronus** sculptorum, pictorum, typographorum, chartopoeorum, bibliopegorum, bibliopolarum, auctorum, scribarum, magistratum, notariorum, theologorum, vinitorum, laniorum, sellariorum, vitreariorum, speculificum, glyptarum, candelariorum, corbificum; amicitiae; ambustiones sanandi; messem bonam faciendi; grandinis evitandae, veneficia evitandi, morbos pedum epilepsiam sanandi. 🇹🇷

🇬🇧 **Regula rusticorum:** *Hat der Evangelist Johannes Eis, / dann macht es auch der Täufer heiß.* i.e. Si die Iohannis Evangelistae tempestas est frigida, die Baptistae erit calida.



**Ecce Iohannes evangelium suum scribens,
imago ex Spirensi evangeliari sumptum,
circa a.1220, invenitur in bibliotheca
Badeniae Caroliruhensi.**

ECCE ANECDOTA KLEISTIANA LATINE REDDITA !




Henrici de Kleist „Anecdota rei proximo Bello Borussico factae“ in Latinum conversa, additis verborum interpretamentis Latinâque versione (Nicolai Groß) et analysi fontium (Reinholdi Steig). Hac anecdotâ Kleistii omnium illustrissimâ agitur de quodam equite Borusso intrepido, qui in proelio lenensi tempore, quo iam undique in vicum fiunt sclopetationes, animo tranquilissimo primum apud cauponem bibit tres hyalos vini adusti et accendit fumisugium et tres velites Francogallos advehentes de equis praecipitat eorumque cum equis sibi arreptis rapidê abequitat. Propter sermonem cauponis convivaeque rapidissimê maximêque dramaticê unus alium sequentes haec anecdota procul dubio habenda est pro opusculo artis narrandi Kleistianae ingeniosissimo. Versione Latinâ eximia vivacitas sermonis fideliter redditur: pro omni numerabilium conviciorum, quae caupo indignatus effundit in convivam suum audacissimum, inventum est interpretamentum Latinum e litteris antiquis excerptum (praecipuê e comoediis Plauti Terentiique).

CD ROM datotheca pdf pretium € 17,90
 CD liber audibilis pretium € 20,90

Et discus legibilis et audibilis directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: TOLLE LEGE ! SPQR@LEOLATINUS.COM

THOMAS FUCHS ALIAS ALOPEX PALAEOPLYGLOTTUS QUID REFERAT DE RELIGIONE PASTAFARIANISMI



Salvē, Nīcolāe!

Certīs temporis intervāllīs epistulās Leōnīnās, quae dīcuntur, abs tē accipere soleō. Quibus epistulīs tū dē variīs rēbus disserere solēs.

In *Amēricā grex quīdam hominum religiōsōrum est, quī ipsī sē *creātiōnistās nōminant. Eī rērum ūniversitātem lēgibus nātūrae creātam esse negant et ea, quae scrīptūrīs sacrīs continentur, ad verbum crēdunt: hominēs scelestōs ossa saurōrum in terram īnfōdisse, ut fidem Chrīstiānam ēverterent. Eī in prōvinciā *Centuciā societātem ēducandī (Britannice: "education board") adiērunt et eī persuāsērunt, ut discipulōs theologiam ut scientiam nātūrālem discere iubēret.

Quā rē īrātus physicus quīdam nōmine Bobby Henderson, quī *atheista esse vidētur, annō bis mīllēsīmō sextō novam fidem atque eandem omnīnō īnsulsam ineptamque fīnxit. Cuius fideī sectātōrēs rērum ūniversitātem ā mōnstrō quōdam volucrī, quod pastae vermiculātae simile esset, creātam esse contendunt multaque praecepta religiōsa et rīdícula et lepida excōgitārunt, ut fidem *creātiōnistārum lūdibriō habērent.

Quā dē fidē egō, quī *īnsulsifex maximus essem, commentāriolum cōnscrīpsī - Latīnē scīlicet! -, ut etiam eī, quī in Latīnē scrībendō loquendōque versārentur, dē hāc rē certiōrēs fierent.

Quīn, sī hoc tibī placuerit, epistolā quoque Leōnīnā eius fideī cavillātōriae mentiōnem faciēs? Mihī quidem haec pastae vermiculātae volucris fidēs rīsum movet neque quicquam causae est, cūr tālēs nūgās graviter feram. Fortasse etiam aliī aut subrīdēbunt aut cacchinābunt, cum praecepta illīus fideī, quae *Pastafārianismus vocātur, lēgent.

Bene valē et, cum pastam vermiculātam comedēs, crībellum collīricum capite gere, ut, cum post mortem in paradīsum pervēnerīs, scatūriginīs, quae ē vertice vulcānī cervisiae ērumpant, bibās et in illā mulierum vestīmenta illiciter pōnentium officīnā (Britannicē: "stripper factory") mulierīs vestīmenta illiciter pōnentīs spectēs!

Thōmās tuus, *īnsulsifex maximus

[Dē vērā religiōne](#)

ECHUS VOCES

DR. ARMANDUS D'ANGOUR PROFESSOR OXONIENSIS

D.Dominico, 10. am.Apr a.2016 h.08:01:20 +0000

Gratulor quidem quod ad centum epistulas excellentissimas attinuisti.

Dr Armand D'Angour Associate Professor in Classics Jesus College Oxford

KATHARINA GLASER

STUDIOSA MEDICINAE MOLECULARIS GOTTINGENSIS

Sun, 10 Apr 2016 12:53:42 +0200

Lieber Herr Groß,

herzlichen Glückwunsch zum 100sten Löwenbrief! Auch wenn ich nur selten dazu komme, alle Texte ganz zu lesen (dazu fehlen mir leider auch die Lateinkentnisse), so freue ich mich doch jedes mal, wenn ein weiterer Löwenbrief in meinem E-mail-Postfach liegt. Ich hoffe, dass es Ihnen gut geht und dass Sie wohlauf sind!

Mit freundlichen Grüßen aus Göttingen,

Katharina

D.10. m.Apr. a.2016 h.14:58

Dieter Schwarz, OStR a.D.Memmingen

Didericus Nicolao s.d.

Haec quaestio tibi habeo: Quod nomen erat auctori in Ephemeride scribenti, qui anno MMVX mortuus est? Plurimas gratias tibi habeo. Tibi optima quaeque exopto, Didericus Schwarz

Care Diderice,

hic vir fuit Ermanno Pizzotti (Hermannus Novicomensis).

Ecce necrologion, quod inest Ephemeridi: <http://ephemeris.alcuinus.net/nuntius.php?id=990>

Bene vale, N.G.

PAULUS KANGISER CHILIANUS IACOBOPOLITANUS

d.Lunae, 11. m. Apr a.2016 h15:43

Paulus Kangiser Nicolao Gross s.d.

Tibi gratulor quod Epistulam Leoninam centesimam edidisti.

Attentissime legi symbolam de centurionibus reliquisque gradibus in Romano exercitu, nam cum scriberem libellum de Bello Araucano, difficile fuit gradus in exercitu Hispano Latine nominare; adhuc certus non sum me recte fecisse.

Cura ut valeas.

Care Paule,

gratias tibi ago pro gratulatione tua. Quod attinet ad Bellum Araucanum, quod tu Latine scribis, laudo hoc opusculum, quia non solum est Latino colore scriptum, sed etiam spectat ad rem antea vix umquam Latine tractatam. Talibus autem opusculis Latinitas vere refocillatur et redanimatur. Ergo perge scribere, care refocillator et redanimator, de rebus Araucanis. Me semper lectorem habebis attentum. Vale quam optime. Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus.

Care Paule,

Vocem Latinam accipio ex quadraginta fere annis; ipse per longum tempus scripsi symbolas huius periodici. Alteram quoque partem Belli Araucani vidi, sed nondum accuratius perlegi. Si perlegero, tibi scribam de hac symbola, quidquid mihi in buccam venerit. Semper vale et

perge mihi favere et colere linguam latinam! Medullitus te salutat Nicolaus.

Am 15.04.2016 um 21:45 schrieb Pablo Kangiser:

Paulus Nicolao s.d.

In Voce Latina 203 (ducentesima tertia) legi potest Belli Araucani altera pars; at nolo te obrui, cum multa alia sint tibi legenda necnon scribenda; sed utinam posses. Obiter nunquam abs te rogavi utrum Vocem Latinam accipias annon. Si opus erit, mittam scriptum. Cura ut optime valeas.

D.14. m.Apr.a.2016 h.14:32

FRANCISCUS XAVIERUS MORENTE DELGADO HISPANUS:

Xavierus Morente Leo Latino

Care Leo Latine! Maximas tibi gratias ob tua consilia de versione Latina publicanda, quae “ad pedem litterae” sequar. Certe integri libri versio “Herculis labor” esset et arbitror cum aliqua Hispanica narratiuncula mihi incipiendum esse. Nunc, alia quaestio. Vltimis annis varias Latinas versiones publicavisti, quae in fragmentis antea in Epistulis Leoninis nos delectaverant, sicut “Crabatus” aut “Recitator”. Sed quid ad “Senex et Salum”? In primis Epistulis secunda et tertia pars apparuerunt; postea autem silentium. Habesne in mente hunc librum Latine reddere? Optime vale! Xavierus.

Leo Latinus Xaviero s.

Care Xaviere, scilicet me velle versionem meam Senis et sali, opusculi Ernesti illustrissimi aliquando perficere. Sed multa alia mihi restant facienda. Roma quoque non uno die aedificata est. Ergo rogo te, ut patienter exspectes. Pancratice vale, care Xaviere, et perge mihi favere. Medullitus te salutat LEO LATINUS.

Die Veneris, 15. m. Apr a.2016 h.23:34

HANNES DEMMING HISTRIO

Fortasse hoc chronogramma te delectabit. Medullitus te salutat Hannes Demming.

LEO LATINUS IOHANNI DEMMING HISTRIONI

sal.pl.dic.

s.v.b.e.e.v.

Summas gratias tibi ago, care Iohannes, pro mirabili chronogrammate. Quo dono mirum in modum me adhortaris, ut pergam scribere Epistulas Leoninas. Pancratice vale, mi care Iohannes, et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Groß LEO LATINUS.

LEONI LATINO
VIRO QVI NOS DONAVIT
CENTVM
SVAVIBVS EPISTVLIS LEONINIS
SINCERE
GRATIAS AGIT & GRATVLATVR
IOANNES HISTRIO

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM PRIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Sabbati, 16. m.Apr. a.2016

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>